

cedunt: Reges Tharsis, & Insula munera offerunt, Reges Arabum, & Saba dona adducunt. Nititur & oraculo Balaam Numi. 24. quod in Arabia fufum existimatur; cum Moab Arabia regio fit juxta D. Hieronymum lib. de Locis Hebraicis. At quid, quæſo, neceſſe eſt, Magos ex ea regione profectos eſſe, ubi fufum eſt olim oraculum illud: Orietur Stella ex Jacob: conſurgit Virgo de Iſrael, Num. 24. ? Cum & illius notitia ad alios quoque populos pervenire poterit, ut ea notitia excitarentur, ad novum Regem ſtella aſſurgente quaerendum: imo cum nulla hujus oraculi notitia habita, ſecretiori Dei inſpiratione excitari poterint.

Postrema tandem ſententia, cui ſubſcribo ludentiſſe, Magos, & Perſas fuiſſe, & ex Perſide veniſſe contendit. Quam & tuerentur S. Joannes Chryſoſtomus, S. Clemenſ Alexandrinus, S. Cyrillus pariter Alexandrinus, ac ipſe etiam D. Thomas 3. parte quaſt. 36. art. 7. In hanc quippe ſententiam optime quadrant univerſa, quæ hæcenus deſignari ſignificavimus. Perſis enim Judææ Orientalis eſt. A Judæa verſus Orientem remotiſſima eſt; quippe quæ diſtat leucis circiter quingentis. Nuſpam in novo Teſtamento ex proprio nomine deſignatur. Magorum nomen, ac profeſſio apud Perſas celebris erat. Adoratio cum oblatione munerum de more Perſarum erat. Munera demum Chriſto oblata, maxime vero thus, & myrrham, ſi forte ex ſua regione non habebant, qua de re dubitatur, ex Arabia felici, per quam illis iter agere neceſſe fuit, comparare facile poterunt. Abunde vero nihil huic ſententiæ opponi video, niſi miſeram, ſutilemque ratiunculam falſa ſuppoſitione nixam: nimirum im-poſſibile fuiſſe, ajunt, ut intra duodecim circiter dies, quingentarum leucarum iter ex Perſide in Judæam conſecerint Magi. Id ſcilicet, falſum eſſe demonſtrabo, quod tanta fiducia ponunt: Magos duodecimo, aut etiam decimo tertio die poſt Chriſti natale Bethlehem adventaſſe. Quæ quarta præſentis concertationis quaſtio eſt, altera exercitatione expedienda.

VII. Interea illud obiter non omiſerim obſervare, Magos, undecumque tandem advenerint, ſeu ex Perſide, ut probabilis dixi, ſeu ex Arabia, ſeu demum ex Chaldaea, ut aliis viſum eſt; ex una tamen, eademque regione veniſſe omnes, ac illa quidem Orientali, uti Textus Evangelicus notat. Quid ergo Pictores audaces Magorum unum colore ſemper fuſco, atque ſubnigro, cæteros vero colore albo nobis adumbrant, quali pro varia aeris temperie, varium colorem naſci eſſent? Manavit fabella ex Collectaneis Venerabili Bedæ perperam adſcriptis, ubi Magorum primus ſenex, & canus, proluxa barba, & capillis fuiſſe dicitur: alter juvenis, imberbis, & rubicundus: tertius integre barbatus colore fuſco. Sed ad quartam de tempore adventus illorum quaſtionem accedendum eſt.

## EXERCITATIO XXXV.

De tempore adventus Magorum, deque ſtella illorum duce.

**I.** Egitur ſuperiori Diſputatione de Magorum Chriſti adoratorum conditione, quam vulgarem, minime vero Regiam diximus: de numero, quem dubium, & incertum oſtendimus: de patria, quam Perſidem demonſtravimus. Superest, ut de illorum adventus tempore, quod peculiarem difficultatem ingerit, diſputemus. Quibus de Stella duce, ac de illorum in patriam reditu, nonni-

hil addendum erit, ad plenam, & integram hujuſce argumenti tractationem.

II. Principio itaque controverſia illa in medium veniat: Quandonam Jerofolymam, ac ſubinde Bethlehem pervenerint Magi? In qua non parum Eccleſiæ Patres, & Sacrarum Scripturarum Interpretes inter ſe diſſidentes invenio, quorum nobis ſententiæ ad examen vocandæ ſunt. Nonnulli, in quibus princeps eſt D. Epiphanius Hæreſi 51. Magos adventaſſe putant biennio integro poſt natalem Chriſti diem, ea ratione nixi, quod Herodes, teſte Matthæo Cap. 2. a Magis diligenter didicerit tempus ſtelle, quæ apparuit eis, poſtea vero, ut vidit ſe ab iis eſſe illuſum, occidi juſſerit omnes pueros, a bimatu, & infra ſecundum tempus, quod exiſtenter a Magis. Unde colligi videtur, ſtellam illis biennio apparuiſſe, antequam Jerofolymam adventaſſent. Stella porro illis non apparuit, niſi dum natus eſt Chriſtus, minime vero antequam naſceretur, ut aliqui ſomniarunt: cum hæc Regis Judæorum jam nati, non autem naſciturum ſignum fuerit; unde & dicebant: Ubi eſt, qui natus eſt, Rex Judæorum, vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Igitur biennio poſt Chriſti natalem diem Magi Jerofolymam pervenerunt.

Specioſum id quidem, ac de ſumma facie proſus invicium: ſi tamen ſpecies intimius, duplici difficultate ea laborat opinio proſus inſuperabili. I. Quia, ſi biennio dumtaxat poſt Chriſti natalem diem, Magi Jerofolymam adventaſſent, Herodem in vivis non invenirent: ſed diu ante deſunctum. Anno enim Regni ejus 36. natus eſt Chriſtus: is vero anno Regni 37. extinctus eſt. 2. Puerum Jeſum Bethlehem non invenirent; quippe quem parentes ejus, die ab ortu quadrageſimo, ad purificationis officium implendum, Jerofolymam tulerant: indè vero non ultra Bethlehem redire, ſed reverſi ſunt in Galilæam, in Civitatem ſuam Nazareth, ut habetur Lucæ Cap. 2. Quod ergo in hujus ſententiæ præſidium fertur: Herodem ſcilicet pueros occidi juſſiſſe a bimatu, & infra ſecundum tempus, quod exiſtenter a Magis, non ita accipiendum eſt, quaſi verba illa ſecundum tempus quod exiſtenter a Magis, ad iſta referantur a bimatu; ut ſignificetur, tempus ſtelle apparentis, quod a Magis exiſtenter Herodes, fuiſſe biennium: ſed potius ut referantur ad illa & infra, ut ſit ſenſus: Herodem ita pueros a bimatu, & infra natos occidi juſſiſſe, ut tamen illos occidi noluerit, qui ab eo dumtaxat tempore nati erant, ex quo ſtella Magis apparuerat; quia certo noverat, nullum iſtorum Chriſtum eſſe poſſe; cum is ante ſtelle ortum natus eſſet. Uno verbo, puerorum caedendorum, non initium, ſed terminum fecit Herodes: ſecundum tempus, quod exiſtenter a Magis. Si autem importune quaeris, quorſum Herodes iratus pueros a bimatu occidi juſſerit, tamen ſtelle ſigno certo ſciret, Chriſtum tunc bimulum eſſe non poſſe? Reſpondet S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 7. in Matthæum: Factum id eſſe pro abundantia cautionis, & licentia perſecutionis; ut ſibi melius conſuleret. Quamquam enim tempus ſtelle didiciſſet a Magis, dubitare tamen potuit, num forte Chriſtus aliquanto antea natus eſſet, quam ſtella illis conſpicua fieret. Quidni etiam dicamus: Herodem forteſſe ſuſpicatum eſſe, Chriſtum, cui ſydera famulabantur, ſpeciem referre poſſe ætate ſua majorem; quæ illi cauſa fuerit, caedendorum puerorum initium altius repetendi. Certe quamquam ex prophæto Michææ oraculo, omniumque Principum Sacerdotum, & Scribarum teſtificatione, certus eſt Herodes, Chriſtum Bethlehem fuiſſe naſciturum; pueros tamen non modo Bethlehem, ſed & in omnibus finibus

hibus ejus juſſit occidi, pro abundantia cautionis: & mirabimur, eodem illum occidi juſſiſſe a bimatu, tamenſi Chriſtum bimulum non eſſe, probe ſciret?

III. Alii ergo ea reſecta D. Epiphanius opinione, quæ in tam duros ſcopulos impingit, in oppoſitam e diametro ſententiam abiere: Magos ſcilicet, die a Chriſti natali terdecima dumtaxat, quæ videlicet in ſextam Januarii incidit, Bethlehem adventaſſe, idque duplici titulo: 1. quod Matthæus illorum adventum narret, uti rem ſtatim a Chriſti nativitate peractam: Cum natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerofolymam: qua loquendi formula narratur res ſubita, ac velut improviſe. 2. quod Eccleſia Catholica Magorum adorationem jam a primis ſæculis celebret die 6. Januarii.

Sed & huic opinioni, tamenſi a multis defendi ſolent, multa eaque gravia repugnant. Primo, quia tam brevi temporis intervallo, Magi ex Oriente tam longum iter agere nequiverunt; præſertim ſi ex Perſide acceſſiſſe ſupponatur, leucis ſupra quingentis Jerofolymis diſtante. Ut mittam, illos conſpecta ſtella Chriſti jam nati nuncia, antequam ſeſe itineri darent, conſultationem habere debuiſſe aliquam; componere, ac parare res ſuas; munera deſtinare, arque ſeligere: quibus omnibus perficiendis una faltem dies inſumpta eſt. Ut mittam etiam, illos aliquandiu Jerofolymis ſubſiſtiſſe, moraque traxiſſe, ut cum Herode colloquerentur, iſque victricem omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi in conſultationem advocaret, ubi Chriſtus naſceretur? Quæ res unum, alterumve forteſſe diem abſumpſit. Quomodo ergo intra decem circiter dies quingentas, & eo amplius leucas conſeciſſent, eſſi illos Dromedariis uſos concederemus? Eaque de cauſa coguntur bene multi hujus vindices opinionis eo conſugere, ut dicant, ſtellam Magis ante natalem Chriſti diem apparuiſſe, illoſque proinde ante Chriſti Domini ortum itineri ſe dedidiſſe, ut poſſent die 6. Januarii Bethlehem adventare; quod Evangelico Textui vim facit longe maximam.

Secundo, ſtare ea ſententia non poteſt, quia, ut ſcribit Matthæus, ſtatim atque perſenſit Herodes, ſe a Magis illuſum eſſe, horrendam illam puerorum caedem edixit. Hæc vero nonniſi diebus poſt purificationem aliquot peracta eſt; dum Virgo Deipara, illiſque ſponſus Jerofolymis diſceſſiſſent, & Nazarethum perrexiſſent, atque inde ab Angelo moniti in Ægyptum auſugiſſent; hoc eſt, elapſo utut minimum Menſe integro poſt illam ſextam Januarii diem, qua Magos adventaſſe volunt. Quis autem facile ſibi fingat, unius Menſis ſpatium neceſſarium Herodi fuiſſe, ut ſe a Magis per aliam viam reverſis deluſum intelligeret, puerorumque carnificinam ediceret? Maxime cum ſexto dumtaxat milliaro Bethlehem diſtaret Jerofolymis. Non ergo adventarunt Magi die ſexta Januarii.

IV. Inquiunt tamen ii: Matthæus Magorum adventum narrat uti rem proxime geſtam, ex quo Chriſtus eſt ortus: Cum natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda... ecce Magi ab Oriente venerunt. Sit ita ſane: at numquid non ſatis ſubitus eſt adventus, & Chriſti natali ſatis proximus, ſi ſub finem Januarii E. G. poſt triginta dumtaxat dies contigiſſe dicatur, ut & hoc pacto videntur incommoda, quæ paulo ante notabamus? Si enim Magorum adventum ponamus die circiter 26. Januarii, omnia facile componuntur. Sufficiens in primis conſcientia longi itineris mora conceditur Magis: conſectis enim in dies ſingulos leucis circiter ſexdecim, (quod viro citatis equis, aut etiam placidis dromedariis veſto facillimum eſt) leuca quingentæ intra Menſem conſiciuntur. Illuſio etiam a Magis Herodi facta, ſat proxime cum imperata puerorum caede coheret, ne Herodes rebus ſuis, quæ illum adeo male torquebant, indormiſſe putetur. Magorum denique adventus ſatis proxime diei natali Chriſti conjungitur, ut jure dixerit Matthæus: Cum natus eſſet Jeſus... ecce Magi ab Oriente venerunt. Sane, ut patenti exemplo, ac non longius accerſito, Doctores illos hac in parte convincam, quaſierim ab eis: quodnam ſpatium temporis interponant inter diſceſſum Magorum in regionem ſuam, & monitum Angeli Jeſeph datum, ut una cum puero, & ſponſa ſua fugeret in Ægyptum? Profecto integri Menſis interſtitiū, juxta illorum ſententiam, concedere compelluntur. Et tamen Matthæus pari loquendi formula uſus, narrato Magorum diſceſſu, e veſtigio ſubjungit: Qui cum recessiſſent, ecce Angelus apparuit in ſonnis Jeſeph dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Quidni ergo de adventu Magorum, tamenſi poſt Menſem integrum a Chriſti natali die contigit, dicere potuit: Cum natus eſſet Jeſus... ecce Magi ab Oriente venerunt? Quamquam etiam, ſi rem omnino ſubitam, proxime conjunctam ea loquendi formula deſignari ſemper ſateremur; quidni quoque ſubjungeremus: particulam ecce ad profeſſionem Magorum ex Oriente, quæ ſtatim nato Chriſto, viſaque ſtella ſuſcepta eſt, eſſe referendam, non ad illorum adventum Jerofolymam, qui nonniſi aliquanto poſt tempore contingere potuit?

V. Alterum, quod in ſua ſententiæ præſidium adferunt, longe ſutilius eſt. Quaſi vero Eccleſia Catholica Magorum adorationem die 6. Januarii contigiſſe pro certo ponat, quia eandem illam hac ipſa die anniversaria celebratione recoſcit? Ecquis, quaſo, hanc regulam fixit, ut iis ſemper diebus Myſteria celebrentur, quibus re ipſa peracta ſunt? Si ſic eſt, puerorum innocentum caedes ante Magorum adorationem ponenda erit: illam enim ante iſtam Eccleſia celebrat, ac etiam inter feſta Chriſti natalia ponit ante Epiphaniam. Non igitur in hujusmodi ſolemnitatibus decernendis, ordinem temporum obſervat ſemper Eccleſia, ſed rationes plerumque myſticas. Certe Eccleſia Græca propemodum univerſa Chriſti natale una cum Magorum adoratione die 6. Januarii celebrabat, ante ſæculum quintum; ergone eadem die utrumque Myſterium peractum exiſtimabat? Ac nunc etiam Eccleſia Latina, hac ipſa die 6. Januarii, tria ſimul Myſteria celebrat, Magorum adorationem, Chriſti baptiſmum, & primum miraculum in Cana Galilææ peractum; ergone pro certo habet Eccleſia, tria hæc eadem die, diſtinctis licet annis recurrentibus, fuiſſe celebrata? Minime gentium. Non ergo temporum ordo, ſed myſtica ratio in hujusmodi quaerenda eſt. Quia nimirum Chriſti manifeſtatio generatim, & univerſe hac una die 6. Januarii celebratur, id enim ſonat Epiphaniæ nomen; quæ quidem manifeſtatio triplici illo Myſterio facta eſt, Magorum adoratione, ſuſcepto baptiſmate, & primo in nuptiis Canæ patrato miraculo: ſic enim primo manifeſtatus eſt Gentibus, ſecundo Judæis, tertio Diſcipulis.

Nec eſt quod mihi quiſquam obiciat: Eccleſiam, Magorum adorationem, una cum Chriſti Baptiſmate, Nuptiſque Canæ, die 6. Januarii celebrantem, in precum officiis identidem ſignificare, hanc ipſam adorationem illa quoque die fuiſſe peractam, non ſecus ac Baptiſmum, & nuptias: Hodie celefti ſponſo juncta eſt Eccleſia, quando in Jordane lavit Chriſtus ejus crimina: currunt cum numeribus Magi ad Regales nuptias: & ex aqua facta



facto vino, letantur convivere. Quamquam enim reponi facile posset, eam diei notationem, ad solum Christi Baptisma referri, quod sexta Januarii die peractum probabilis creditur: illud preterea per se ipsum est; eam loquendi formulam, in precum officiis frequentatam, non diem naturalem, qua sint peracta Mytheria, denotare; sed solemnitatem ipsam, atque memoriam in Ecclesia fieri solitam; ut sit sensus, representari tunc, atque in memoriam, hæc aut illa Mytheria revocari. Namque & Christi Domini mortem, resurrectionemque Ecclesia celebrans, perinde in precum formulis canit, ea die Christum esse mortuum, aut ex mortuis surrexisse: cum tamen secundum veram anni computationem, non eadem sæpe sit dies, qua Mytheria illa sunt gesta.

De cætero Ecclesiam universam nunquam certo statuisse, tria illa manifestationis Christi Mytheria, qua eadem nunc sexta Januarii die celebrantur, hæc ipsa quoque die fuisse peracta, ex precis Patrum liquet, Origene Homil. 8. in diversos, Augustino Sermone 29. & 34. de Tempore, Ambrosio Serm. 18. 21. 22. Maximo Serm. de Epiphania, Cassiano Collat. 10. qui cum varias, ea de re Majorum sententias referant, ex tribus quidem memoratis Mytheriis aliquid, die illo contigisse, notant, non tamen omnia. *Ferunt bodie, Christum Dominum vel stella duce a Gentibus adoratum; vel invocatum ad nuptias, aquas in vina vertisse; vel suscepto a Joanne baptismo, consecrasse fluenti Jordani.* Divi Maximi verba sunt, sub disjunctione loquentis laudato Sermone, uti & alii Patres.

VI. Omnibus ergo, quæ hæcenus dicta sunt, in summam deductis, rejectisque extremis illis, seu Patrum, seu Interpretum opinionibus; qui aut Magos dumtaxat post Christi ortum tertiadecima Bethleemum adventasse ponunt: aut contra, suum demum adventum ad biennium distulisse contendunt; illud uti verissimum puto, Magos sub finem Januarii, die nimirum 26. aut 27. ad Christi cunas accessisse. Sic enim, ut dixi, probavimus, omnia belle coherent, universaque contrariarum opinionum vitantur incommoda.

Quod autem non ultra illorum protrahamus adventum, nec post Deiparæ Virginis purificationem, quæ die 2. Februarii facta est, differamus; illud præsertim in causa est, quia hæc in hypothese, Christus, illiusque Parentes Sanctissimi non ultra a Magis Bethleemum inventi fuissent: quippe qui, Bethleem relicto, Jerosolymam venerant, ut purificationem legem implerent; relictaque subinde Jerosolyma, in Nazareth Galilææ reversi fuerant, Luca teste Cap. 2. *Et ut persecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth.* Atque ita Magorum adoratio, si ultra purificationem protrahatur, non in Bethleem, sed in Nazareth; non in Judæa, sed in Galilæa peracta esset, Evangelio, & Patribus palam, aperteque repugnantibus. Evangelio, inquam, Matthæi Cap. 1. ubi discrete notatur: Herodem Magos Bethleem misisse Christum adoratos. Patribus vero, qui Christum a Magis Bethleemi adoratum summo consensu definiunt: hocque uno inter sese dissentient, quod alii adoratum dicant, in hac ipsa spelunca, in qua natus est: alii (maxime vero S. Epiphanius hæresi 51.) adoratum velint in quadam domo, seu in Diversorio jam tandem hospitibus vacuo, in quod Parentes Sanctissimi natum puerum transtulissent: qua de causa ab Evangelista de Magis dictum sit: *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procedentes adoraverunt eum: nemo tamen horum, Christum Nazarethi in Galilæa adoratum; commentus est.* Dicam interim obiter, nutare illud D. Epiphanius fundamentum, quo Christum non jam in spelunca, sed in domo adoratum existima-

vit. Quia Hebræi, quorum idiomate Matthæus Evangelium scripsit, quemcumque locum, ubi quis degit, etiam vile tugurium, antrum, speluncam, imo volucrum nidum, domum appellant, cujus rei exempla sexcenta dare facile fuerit. Pfal. 83. *Passer invenit sibi domum.* Pfal. 48. *Sepulchra eorum domus in æternum.* Pfal. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis bivos.* Pfal. 103. *Herodii domus dux est eorum, montes excelsi cervis, petra refugium berinacis.*

VII. Postrema jam questio relinquatur de stella Magorum duce: quæ illius natura fuerit: qui motus, ut iter agentibus ab Oriente in Occidentem signaret viam?

Veram illam fuisse stellam, ac Firmamento affixam, impossibile est. Affixa enim Firmamento viam Magis signare non potuisset; in tanta videlicet altitudine. Stella veræ motum circulem habent; ita rectum ab Oriente in Occidentem. Ille de nocte dumtaxat fulgent; ista de die, cum tunc maxime iter Magis agendum esset. Ille perpetuus sunt; ista temporanea; impleto enim officio evanuit. Illæ omnibus perinde conspicuæ sunt; ista solis Magis, quibus etiam, quamdiu Hierosolymis subsisterent, sese occultavit.

Quid ergo erat? Auctor libri de Mirabilibus Scripturæ locis apud Augustinum lib. 3. Cap. 40. Spiritum S. fuisse ait, qui sicut sub Columba specie descendit in Christum baptismum, ita per speciem stellæ Magos direxit. Auctor Operis imperfecti in Matthæum Homilia 2. externam pueri formam in celo conspicuam fuisse docet, crucis signum supra caput referentis, Magosque inde alloquentis, viamque monstrantis. At sunt hæc inepta commenta, ex apocryphis Sethianorum Libris excerpta. Verius, ac certius fuisse creditur Meteorum aliquod, ex aere condensato ab Angelo efformatum, in modum ac speciem Stellæ, ingenti lumine perfusum, & ab Angelo ex Oriente in Occidentem motum, in media aeris regione, ut Magis signaret iter: perinde ac columna ignis, & nubes, quæ filios Israel per Desertum deduxit. Ita S. Joannes Chrysof. in Cap. 2. Matthæi; S. Fulgentius Serm. de Epiphania, S. Basilus Homil. de Humana Christi natura, & S. Thomas, 3. q. 9. 36. a. 7.

Miror, Interpretes non paucos, ac etiam magis nominis, Jansenium, Cajetanum, Clarium, Barradium, nullum huic stellæ motum ab Oriente in Judæam tribuisse; sed eam, vel Judæa incubantem, & fixam, ex ipso Oriente a Magis visam esse, unde noverint illi, quo sibi esset eundem; quo pacto stella polaris, immota licet, navis monstrat iter: vel vice versa, stellam Orienti incubantem, & in ea aeris parte fixam, visamque a Magis, natum Cæli Dominum indicasse: illos vero nullo ductore in Judæam venisse, propterea quod ex Balaami prophetia Numer. Cap. 24. novissat, quid stella illa insoluta indicaret. At stellam hanc ipso suo motu signasse iter, nec uno semper, eodemque fectis loco, probat Matthæi phrasia Cap. 2. *Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos; usque dum veniens staret super, ubi erat puer.* Probat Sacet Hymnus in Ecclesia cani solitus: *Ibant Magi, quam viderant, stellam sequentes præviam.* Probat Patrum testimonia: S. Petri Chrysofologi Serm. 156. *Ambulante Mago ambulat; sedente stat, dormiente excubat.* S. Leonis Magni Serm. 2. de Epiphania: *Magos ad Christum adorandum prævia Stella perduxit.* S. Joannis Chrysofomi Homil. 6. in Matthæum: *Magi stellam prælucentem sequuntur.* S. Fulgentii Sermone de Epiphania: *attendit stellam in Cælo fulgentem, Magos præcedentem, & iter ignarantibus ostendentem.* S. Thomæ 3. parte quæst.

36. art. 7. stellæ hujus motum ex instituto propugnantis.

VIII. Magos, peracto salutationis officio, per viam reversos in regionem suam Matthæus observat. At quomodo distinte in reditu viam tenuerint, nec notat ille, nec inquirunt Interpretes; factis officio suo consulum arbitrati, si illos publica in reditu hospitia declinasse monent, ne ab Herode, quem illuserant, itinere prohiberentur, & comprehenderentur. Si quid tamen summæ auctoritatis viro tribuendum est, Amobio juniori, qui vertente sæculo quinto Ecclesiam illustravit; Magos navigio evasisse putaverim: sic enim in Herodis Regia ætimate fuisse, scribit in Commentariis ad Pfal. 47. *Quo tempore, inquit ille, non est invenus Dominus, & infantes occisi sunt; etiam navigia Regio sunt jussa vexata, quibus Magi, qui non redierant ad Regem, credebantur fugere potuisse.* Quid hoc sit, Herodem, vexasse navigia, haud satis intelligo: (tametsi vexatam tempelate classis Svetonius dicat in Augullo) nisi forte Navicularios, qui ad aufugendum naviculas præbuisse putabantur, vexasse, penitusque gravissimis affecisse.

IX. De Magis Christi nascentis adoratoribus, deque stella duce illis a Deo data, plura cæteris omnibus fabulatur Agridenfis Abbatissa, in sua illa Deiparæ Virginis Historia, divinitus ipsi ut obtenditur, inspirata. Primum, Magos de nupo Bethleemi Salvatore, statim atque mundo illuxit, ab Angelis, non secus ac Pastores ipsos, fuisse admonitos. Secundum, stellam viam ducentem illis a Deo datam, statim atque Bethleemum ventum est, ex pristina mole & amplitudine in arcum coactam atque contractam, speluncam ipsam subisse, intusque pupili vagientis capiti insedisit. Tertium, Magos binas distinctis diebus salutationes & adorationes peregrisse. Quartum, mystica munera, aurum thus, & myrrham non obtulisse aditu primo, sed die altera; ac postquam dona alia, ad inopie levamen, per famulos submisissent, Bethleemi manentes, moramque trahentes. Postremum, stellam confecti ex oriente itineris ducentem, eodem in patriam rediisse. Quæ omnia, non uti divinitus patefacta, reverenter excipere; sed uti somnata temere, sidenter reicere satius est. Primum enim, ultra sacrorum Evangeliorum silentium, quo vel uno falsi convincitur: (ad solos enim Pastores missum Angelum dicunt) constanti Patrum sententia distincte repugnat: qui Pastores, genere utique & religione Judæos, tanquam ratione utentes, ab intelligente nuncio monitos dicunt; Magos vero, utpote gentiles, lege ac ratione destitutos, mutis tantum signis advocatos affirmant. Gregorius magnus Homil. 10. in Evangelia: *Quærendum nobis est, quidnam sit, quod Redemptore nato, Pastoribus in Judæa Angelus apparuit, atque ad adorandum hunc, ab Oriente Magos non Angelus, sed stella perduxit? Quia videlicet Judæis, tanquam ratione utentibus rationale animal, id est, Angelus prædicare debuit: Gentiles vero, quia uti ratione nesciebant, ad cognoscendum Dominum, non per vocem, sed per signa perducuntur.* Chrysofomus Homilia 6. in Matthæum, in eundem ferme sensum: *Quæ inquis ratione, Magos per stellam duxit ad Christum, & quomodo modo? Oportet Prophetas miri potius? sed nequaquam Magi credidissent Prophetis. Aut voce aliqua desuper insonare? sed nec hæc quidem tantopere curassent. Aut Angelum mittere? verum hunc quoque forsitan præterissent. Propterea igitur omnia hujusmodi voluissent, per ea illos vocat, quæ familiaria eis consuetudo faciebat: mira quidem dispensationis pietatis, ad hominum condescendens salutem.* Quid igitur Angelus monitor nobis obtruditur, Patribus repugnantibus? forsitan ut quid novo conspicio fidere significaretur, Magis explicaret, ac

patefaceret? At nec Angelo monitore, sed fecerit divini Spiritus afflatu; & ex fuso olim Balaami vaticinio, id Magos internovisse, Patres constanter affirmant: Ambrosius lib. 2. in Lucam, Hieronymus in Cap. 47. Isaïæ, Gregorius Nyssenus Orat. de Christi Nativitate, Leo magnus, Fulgentius, Chrysofologus, in Sermonibus de Epiphania; ut nullus plane Angelo monitori sit reliquus locus.

Alterum Agridenfis Abbatissæ commentum, diserto Matthæi testimonio falsi convincitur: qui stellam demum stersisse, ait, supra ubi erat puer; seu sacra, ubi natus erat pupulus, spelunca incubuisse, non speluncam ipsam intrasse: quod pervertit syriacus textus distinctius exprimit: *Stella precedebat, eos, donec venis, stersitque super locum, ubi erat puer.* Ut quid vero intrare necesse erat; pupulique vagientis capiti insidere; ut illum ipsum esse puerum intelligerent Magi, quem venerant adoraturi: cum alius nullus in ea spelunca vagiret infans recens natus, in quo colendo adorandoque falsi possent? Tertium & quartum, de bino salutationis & adorationis officio, distinctis diebus peracto, deque donis aliis, præter tria mystica, nato puero submissis, per famulos die altera, Evangelicæ Narrationis adversari; quæ Magos simplici adoratione, triumque dumtaxat munerum largitione defunctos, hæc ipse nocte admonitos abcessisse, nec moram Bethleemi traxisse, discretissime contestatur. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procedentes adoraverunt eum. Et responsu accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Postremum de stella ad reditum duce, Magis adoratoribus data, non modo pro arbitrio fictum est, nullo rei tam prodigialis teste producto; verum etiam superfluum fuit: cum, quo demum essent redituri Magi, non ignoraret. Deus autem prodigia citra necessitatem patrare non solet. Quid etiam quod plerique Patres, peracta Magorum adoratione, stellam viam ducentem evanuisse, seque illorum oculis subduxisse, doceant? Non igitur fessè illis in reditu ductricem exhibuit.

## EXERCITATIO XXXVI.

De Virgine post dies 40. in Templo purificata, deque Christo Domino ibidem oblato.

I. Virginis purificata, & Christi Domini in Templo oblata Mytherium his verbis enarrat Lucas Cap. 2. *Postquam impleti sunt dies purificationis ejus, secundum legem Moysi, steterunt illius in Jerusalem, ut starent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvram Sanctum Domino vocabitur. & ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturam, aut duas pullos Columbarum.* Tum subinde narrat Evangelista occursum Simeonis viri justii, & timorati, qui Christum in ulnas suas accepit, sacrumque Canticum cecinit. Nos, ut rectam hujusce Mytherii intelligentiam demus, quatuor quæ gravem difficultatem pariunt, investigabimus. 1. Cujusnam hic purgatio describatur? Postquam impleti sunt dies purificationis ejus: Christiane? an Virginis? an auctorum? 2. An legibus ibidem memoratis summo jure Christus, & Deipara tenerentur? 3. Quis fuerit Simeon ille, qui Christum in ulnas suas excepit? Sacerdosne, qualem vulgus existimat, an autem vir Laicus, justitia & prophetiæ dono illustris? 4. Fabulas nonnullas de Virgine purificationis officium implente resellens. Erit igitur hoc hodiernæ, ac forte etiam sequentis exercitationis argumentum.



II. Erat dubio procul, qui primo rerum aspectu mireretur vehementius, primum illud in controversiam vocari, cuiusnam hic purgatio intelligatur? Christiane, an Deiparæ Virginis, an amborum? Et tamen nihil apud Sacros Interpretes majori contentione agitari video. Quætionem dubiam facit Versiois vulgatæ Textus Latinus: *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus*. Cum enim pronomen illud *ejus*, utriusque generis sit, perinde ad Christum, & ad Virginem Matrem referri potest; ut vel illius, vel istius purgatio designetur. Imo, si juxta Grammaticæ leges ad eam personam referri pronomen oportet, cujus proxime mentio facta fuit; citra dubium referretur ad Christum, de quo proxime antea dicitur: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur*; sequiturque nullo interjecto medio, imo cum sequula periodum conjungente: *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus* &c. ut plane ipsius Christi Domini, non Deiparæ Virginis purgatio adnotari videatur.

Hanc eandem quætionem involvit, obscuratque longe magis Textus Græcus, a quo tamen dilucidari, ac solvi debuisset, si unus, idemque in omnibus exemplaribus legeretur: obscuritatem tamen parit Exemplarium varietas. Alia enim habent *αὐτῆς* ejus masculini generis, ut nimirum referatur ad Christum; quasi illius hic purgatio describatur: alii Codices habent *αὐτῆς*; ejus generis feminini, ut ad Virginem referatur; quasi de illius hic purgatione sermo fiat. Alii demum habent *αὐτῶν*, hoc est, eorum; ut nimirum ad utrumque referatur, tanquam utriusque perinde, & Christi, & Deiparæ purgatio describatur. Hinc orta diffidia Patrum. Priorem enim lectionem, ac sensum de Christi purgatione amplectuntur nonnulli Veteres a Toletto recentiori annotatione 37. in Lucam, qui idcirco duos pullos columbarum pro purgatione Filii recens nati offerri soliti arbitrantur: quare de purgatione legali Christi Domini, secundum hominum opinionem, illic agi contendunt. Secundam lectionem, ac sensum, Venerabilis Beda, ac plerique recentiores excipiunt, deque solius Virginis purgatione dictum interpretantur. Tertiam lectionem amplectuntur Origenes Homil. 14. in Lucam, Auctor Homiliæ de Occursu apud S. Joannem Chrysostomum, & Euthymius in suis ad Lucam Commentariis: nempe de illorum purificatione Evangelistam locutum existimant; sic tamen, ut eo pronomine *illorum*, Christi & Mariæ purgationem intelligat Origenes: Mariæ vero, & Josephi purgationem pseudo-Chrysostomus interpretatur: trium demum, Mariæ, Josephi, & Christi purgationem explicat Euthymius.

Quis non hic Babelicam confusionem intueri sibi putet? Sed quid nos interim in tanto pugnantium opinionum conflictu? Non aliam sane, nisi quam, & Ecclesia Catholica, & recta ratio Saris Litteris innixa magis probat, sententiam amplectimur: Eam nempe, quæ solius Mariæ purgationem recitari hoc loco contendit, non Christi, non amborum, non denique Josephi cum illis.

Sic sane Ecclesia Catholica Sacrarum Scripturarum interpres dignissima, quæ Sacrum illud Evangelium recitans inter media Sacra, die Purificationis festo, loco *αὐτῆς* ejus, explicat, ac distincte legit *Mariæ*: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moyli* &c. Sacramque illam solemnitatem in publicis precum Officiis, ac in Martyrologio Purificationem Virginis vocitat, non Christi, non amborum, non denique Josephi cum illis.

Suffragatur & ratio disertissima. Agitur enim de purgatione faciendâ secundum legem Moyli: at purgatio hæc Matris erat, cujus erat immunditia eluenda, non pueri, non viri: sic quippe lex habet, Levitici Cap. 12. *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstrue*. Et die octavo circumcidetur infantulus: ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis sue. Omne Sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleatur dies Purificationis sue. Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta diebus manebit in sanguine Purificationis sue. Totum id de immunditia matris dictum est, ac de illius purificatione: nihil de Filio, nisi quod octavo die circumcidi debeat; nihil plane de viro. Totumque illi aberrant otio, qui, ut quamdã nati pueri immunditiam legalem nobis obtrudant, a qua ipse quoque peculiari purgatione mundari debuerit, ajunt: oblationem agni anniculi, aut pulchorum columbarum fieri solitam fuisse pro filij purgatione. Minime vero, sed hæc quoque oblatio pro matris purgatione fiebat. Clariora Scripturæ verba sunt, quam ut res in dubium verti possit: *Deseret agnum anniculum in holocaustum*, subjungit Moyses, & pullum columbe pro peccato, & tradet Sacerdoti, & orabit pro ea, & sic mundabitur a profusio sanguinis. De Mariæ igitur purgatione unice loquitur Evangelium. Si qua vero in Græcis Codicibus diversitas est, iis uti puris, atque germanis standum est, qui lectionem retinent, vero ac germano Scripturæ sensui congruentiorem: quales profecto ii sunt, qui habent *αὐτῆς* purgationis ejus in genere feminino, ut ad solam Virginem referatur.

At ecce, opponunt nobis Grammaticæ Magistrelli, in illa Divi Lucae propositione, *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus*, pronomen illud referri oportet ad eam personam, cujus antea mentio facta est; atque ita ad Christum Dominum, de quo proxime antea sermo fuit: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus*. At observent, rogo illos, totam illam de Christo Domino periodum præcedentem, qua ejus Circumcisio narratur, velut intra parenthesis fuisse conclusam: atque ita pronomen illud *ejus*, in Evangelicæ propositione, ad eam referri personam, de qua ante parenthesis sermo fuit: fuit autem sermo de Deipara Virgine: *Mariæ autem conservabat omnia verba hæc, confrens in corde suo*; ad Mariam itaque, non ad Christum pronomen illud referendum est. Ejus itaque, non Christi purificatio illic agitur: maxime cum id sequentia Evangelii verba evidentè ostendant.

III. Succedit nunc suo ordine quæstio altera de legibus Mosaicis, quibus in eo purgationis officio peragendo, sese Virgo Deipara, & Christus Dominus subjecere: num iis summo jure tenerentur, an autem iis soluti, & liberi essent? Sunt ille numero tres: duæ priores ad Matrem parturientem spectantes: tertia ad Filium genitum unice pertinet. Prima extat Levitici Cap. 12. v. 2. ut si mulier masculum peperisset, per dies quadraginta maneret immunda. Altera ibidem. v. 6. ut mulier eo pacto secundum legem immunda, pro sui purificatione obtinenda, Deo in holocaustum offerret agnum anniculum; ac pullum turturis, vel Columbe, in victimam pro peccato, si dives esset: sin autem pauper, par turturum dumtaxat offerret, aut duos pullos Columbarum. Tertia lex Exodi 13. legitur, ut si nata proles sit mascula, & primogenita, sistatur, & offeratur Deo tamquam ipsi debita, & consecrata, ob liberationem primogenitorum Hebræorum a Deo factam, quando ab An-

ge-

gelo exterminatore cæsa sunt primogenita Pharaonis, & Ægyptiorum; ita tamen ut proles oblata Deo a parentibus redimi posset quinque solidis; hoc est, libellis circiter decem & octo monetæ Venetæ.

IV. Virginem Deiparam utraque lege ad mulieres parturientes spectantem liberam fuisse, communis est Patrum assertio, cui solus visus est refragari Origenes Homil. 14. in Lucam. Ratio duplex in promptu est. 1. quia pro mulieribus, quæ suscepto semine peperissent, lata sunt leges illæ: *Mulier*, inquit Moyses Levitici 12. *si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit*: at Virgo Deipara absque suscepto semine peperit; ea itaque lege soluta erat. 2. quia immunditia illa legalis, quæ a parturientibus contrahebatur, quæque subinde ex legis præscripto purganda erat, non aliunde quam ex fluxu sanguinis menstrui contrahebatur: *Immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstrue*; & post pauca: *Mundabitur a profusio sanguinis*: at fluxus sanguinis menstrui non fuit in Deipara: tum quia Virgo peperit, ac sine claustri virginis effractione fecundum effudit: tum quia, cum Spiritus Sancti opera concepisset, ille solus sanguis fuit in Virgine, qui ad nutrimentum fœtus in utero necessarius erat; quo fœtu egresso ex utero, sanguis ille totus ad ubera conversus est, lacque factum est, in cibum nati infantis. Nullus ergo superfluous erat sanguis menstruus, atque adeo nulla erat immunditia, nullaque necessitas purgationis a lege præscriptæ.

Non desere tamen importuni cavillatores, qui priorem rationem hanc nostram, quæ Patrum etiam ferme omnium est, uti futilem exsufflare tentarint, ut Virginem purgationis legi subditam dicerent, propterea quod semen, eo Levitici loco *Mulier si suscepto semine pepererit masculum*, pro ipsa prole accipi putent, non pro semine virili, ex quo fit proles, ut plane sexcentis aliis Scripturæ locis accipitur: *Regnabit semen tuum post te* lib. II. Regum Cap. 7. *Ponam in seculum seculi semen ejus* Psalmo 88. *Non erit de semine ejus, qui regat populum meum Israel* Jerem. 22. *Locutus est ad patres nostros, Avram, & semini ejus in secula*, Luca 2. Adeo ut Mosaicæ legis sensus sit: *Mulier, si suscepta prole pepererit masculum, immunda erit*. Quo casu Virgo Deipara eadem illa lege involveretur, utpote quæ prolem pepererat.

Verum quamquam Divinis in Litteris, nomine feminis editam prolem intelligi sæpe contingat; repugnant tamen Textus Hebraicus, ut hanc illi significationem in ea, quam expendimus, lege Mosaicæ tribuamus. Siquidem pro eo, quod habet Latinus Interpres: *Mulier, si suscepto semine*, Textus Hebraicus habet: *Si suscepto spermate*, aut potius unico passivæ significationis verbo id totum exprimit, quasi si barbæ dixerimus: *Mulier si spermatazata pepererit*; in quam significationem, locum illum verterunt septuaginta Interpretes, & quotquot hebraice sciunt. Adde, verba hæc, *si suscepto semine pepererit masculum*, a Moysè poni tanquam rationem, ob quam mulier immunda sit: at immunda profecto non est ob id solum, quod prolem ediderit, sed quod illam ediderit ex immundo semine; igitur non prolem susceptam, sed virile semen plane significat. Quid etiam quod mulier vere, propterea prolem suscipere non dicitur, sed vir: cum enim mulier prolem viro pariat tanquam ipsius feminis fructum, non vir mulieri; prolem ex muliere suscipere dicitur vir, non mulier ex viro. Quod ergo in Levitico dicitur: *mulier si suscepto semine*, de suscepta prole nequit intelligi, sed

de suscepto virili semine ad prolem parandam. Stat igitur invicta probatio.

V. Gravioris longe, majorisque momenti fuerit definire, num perinde Christus altera lege, de primogenitis Deo sistendis, consecrandisque eximeretur. Et quidem primo rerum intuitu ea lege videtur exclusus; sic enim lex habet lib. Exodi Cap. 13. *Sanctifica mihi omnes primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus, quam de jumentis*: Christus autem vulvam maternam nascendo non aperuit, sed claustris pudoris intactis, & obferatis, per uteri penetrationem exivit, ut fusc alias demonstravimus: non itaque ea lege tenebatur. Nihilominus ubi Ecclesiæ Patres consulo, & attentius observo, quemadmodum & consulere, & observare necesse est, si volumus esse Theologi, ut debemus, rem longe aliter esse deprehendo; Christumque ea lege comprehensum invenio; quem, nisi me Patrum moveret auctoritas, liberum voluissim. Sic quippe summa confensio definitur Tertullianus lib. de Carne Christi sub finem, Origenes Homil. 14. in Lucam, S. Ambrosius lib. 2. in eundem Lucam, S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, Auctor Homiliæ de occurru Domini inter Opera D. Chrysostomi, S. Gregorius Nyssenus Homil. ejusdem Argumenti, S. Amphilocheus Iconii Episcopus Homil. de Purificatione, S. Isidorus lib. 1. Epist. 23. Theophylactus, & Euthymius in suis ad Lucam Commentariis, S. Joannes Damascenus Oratione de Dormitione B. Virginis. Quorum omnium hæc una vox est, non modo Christum ea primogenitorum lege comprehendi, sed longe verius, certiusque quam cæteros quosque primogenitos: imo ob illum ipsum fuisse legem hanc constitutam; cui & Deo sisti, uti lex illa ferebat, & consecrari maxime congruebat, quippe qui vere, & proprie Sanctus erat.

VI. Ecur vero, inquiet aliquis, ea lege concluditur Christus, quæ de solis masculini sexus primogenitis vulvam aperientibus lata est? Si mea hic responsio quaereretur, repererim facile, eam Sacris Scripturis familiarem esse loquendi formulam, qua ii notari solent, qui primi omniat e materno utero prodeunt, quocumque tandem pacto res illa contingat, seu vulvæ apertione, quæ communis nascendum conditio est, seu sola uteri penetratione, quod Christi Domini privilegium fuit. Moysenque idcirco *Sanctificandum*, hoc est, offerendum Deo dixisse primogenitum, non qualemcumque, sed qui aperit vulvam, seu qui primus omnium ex utero materno prodit in lucem: quia primogenitus inter masculos esse potest, qui tamen vulvam non aperiat, si prius femina nata sit: & rursus primogenitus potest esse viri, non autem uxoris, quæ filium ex præcedenti Matrimonio suscepit. Mea hæc, si forte quaereretur, responsio foret, qua objectionem illam eluderem. Verum quia non mea, sed Sanctorum Patrum, quorum hic sententiam expendo, responsio quaeritur: reponunt ii vice versa, tantum abesse, ut ex iis legis Mosaicæ verbis, *primogenitum, quod aperit vulvam* momentum peti possit, quo Christus ea lege eximatur, ut potius inde gravius repetant argumentum, quo Christum hæc ipsa lege concludant; hac etenim nota Christum maxime designatum existimant. Cætera quippe primogenita, inquit illi, tam in hominibus quam in jumentis, non tam nascendo vulvam aperiant, quam apertam inveniant: præcedente scilicet copula, quæ vulvam cœperat aperire, antequam pueri nascens dilapsu aperiat ex integro: Christus vero nulla præeunte copula conjugali natus ex Virgine, vulvam, quam nullo pacto, nullo modo apertam invenit, nascendo fo-

lus



luis aperuit. Ita concordia sententia citati Patres, Origenes, Tertullianus, Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius, Hieronymus, Amphilocheus, Isidorus, Theophylactus, Euthymius, Joannes Damascenus locis a me paulo ante laudatis.

Abfit tamen, ut tot Ecclesie Patres Sanctissimos, atque doctissimos Deiparæ Virginis puritati injurios existimemus, dum vulvam ejus nascente Christo *aperiam* dixere. Abfit, inquam. Vulvam siquidem *aperire*; nihil aliud in illorum Codicibus sonat, quam *perviam* facere, ne Christo ex-  
 untri *esset* impedimento; quod tamen sine fractura, uterique dilatatione factum est, sed prodigiosa penetratione; atque ita illata virginitate, claustrisque pudoris prorsus intactis. Utrumque enim laudati Patres affirmant: *Ita Christus parvus tempore procreatur, vulvamque aperit, ut interim virginitatis claustra minime labefaceret*, inquit S. Joannes Damascenus Oratione de dormitione B. Virginis. *Solus Christus clausas portas vulvae Virginis aperuit, que tamen clausa jugiter permanserunt*, inquit Divus Hieronymus Dialogo 2. contra Pelagianos. *Solus Christus nondum apertam supernaturaliter aperuit, & clausam naturaliter conservavit*, ait Euthymius in Cap. 2. Lucæ. Quibus in locis, nisi *si vulvam aperire*; pro *perviam* facere, usurpassent laudati Patres, sibi ipsis una eademque periodo repugnassent: cum clausam simul conservatamque asserant, & apertam.

VII. Nec Patribus peculiaris est illa loquendi formula, qua *aperiam* pro *perviam* ponitur: *aperire* pro *perviam* facere; est aliunde flet integrum, ac minime disruptum. Sic Matth. Cap. 3. de Christo baptizato legimus: *Eccc aperti sunt ei Cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam*. Et Marci Cap. 1. de eodem Christo Domino: *Vidit Cælos apertos*. Et Actuum 7. Stephanus, dum lapidaretur: *Eccc*, inquit, *video Cælos apertos, & Jesum stantem a dextris Dei*: non certe quod Cælorum soliditas disrupta, discissaque fuerit; aut forte fluidæ illorum materię soluta continuitas; id enim omnes Interpretes negant, nec erat necessarium ut fieret: sed quod Cælorum soliditas, aut continuitas, quantacumque sit, oculorum obtutibus pervia fuerit; nulloque fuerit impedimento, quominus Christus Dominus Spiritum S. e Cælo descendente viderit, & Stephanus Christum intuitu sit sedentem a dextris Dei. Eo sensu, eademque phrasi *aperiam vulvam* dixere Patres nascente Christo: non quod fractura facta, orisque dilatatione patuerit; sed quod nascenti Christo pervia facta sit, penetratione prodigiosa; nulloque fuerit impedimento, quominus Christus ex utero virgineo sponte prodierit.

Si minus ea interpretatio sapit, haud ita morosi sumus, quin & alteram subjiciamus. Quo scilicet titulo, sacris in litteris, *vulvam claudere* idem sonat, ac *fœminam infœcundam & sterilem* facere, aut relinquere: (Genesis 20. 29. 30. lib. I. Reg. Cap. I.) ita contraria significatione, *vulvam aperire* idem sonat, ac *fœcunditatem fœminæ conferre*. Eoque idcirco sensu dixere Patres, Christum Virginis Matris vulvam aperuisse; hoc est, eam Matris suæ fœcunditatem contulisse, quam nullus alius filius matri suæ conferre potuit.

VIII. Sentio non desuturos, qui eam Patrum sententiam, tamen, & defensorum auctoritate, & rationum pondere communitam cavillari velint: Christumque ea primogenitorum Deo consecrandorum lege solutum ostendere moliantur. At eorum momenta, quandoquidem rei gravitas postulat, sequenti exercitatione majori otio diluamus:

ceterasque simul quaestiones, quas ad hujusce Mysterii explicationem nos agituratos recepimus, Deo favente, expediemus.

## EXERCITATIO XXXVII.

Superioris exercitationis prosecutio; ubi etiam de Simeone Christum in ulnas suas excipiente.

I. Christum Dominum primogenitorum lege fuisse obstrictum, qua Deo dicari, & consecrari jubebantur, sat bene in superiori prælectione ex Patrum doctrina dedimus manifestum; ut nullum ea de re dubium subit apud eos, qui Veterum auctoritate decuntur. Verum quia non desunt, qui in his etiam, quæ ex Sacrarum Scripturarum notitia pendunt, fœ malint, quam alieno Majorum judicio regi; quique Patrum sententiam cavillari ambiant potius, quam reverenter excipere, idcirco facturos nos opere pretium existimavimus, si eorum antea cavillos retundemus, quam ad ceteras, quas suscepimus enodandas quaestiones, progrediamur.

II. His ergo momentis in contrarium enituntur, ad Patrum doctrinam obscurandam. Si Christus ea Exodi lege tenebatur, Cap. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam*, quia specialiter Matris vulvam nascenti aperuit; cum contra alia primogenita, non tam nascenti vulvam aperiant, quam apertam inveniant, uti Patres argumentantur, solus ergo Christus ea lege dicendus erit obstrictus, quia solus ille nascenti vulvam aperuit. Præterea, si in memorata Exodi lege, *vulvam aperire* idem sonat, ac vulvam sibi perviam facere, seu ex ea primum prodire, quocumque id modo contingat, seu penetratione, ut Christo contigit, seu effractione, orisque illius dilatatione, ut contingit in nobis; (quæ Patrum a nobis laudatorum interpretatio est) frustra Moyses dixit: *Primogenitum, quod aperit vulvam*; cum satis ei fuisset dicere *primogenitum*; ex quo enim filius primogenitus est, & vulva primus egreditur. Insuper, Legislator lege a se lata minime tenetur: Christus autem, utpote Deus, eam de primogenitis Deo offerendis legem edixerat. Ultimo, impium videtur, Christum legi huic subditum dicere, dum interim Virgo Mater purificationis lege soluta dicitur.

Hæc ut paucis expediam, breve tibi ad singula habeo responsum. I. Christum Dominum, ex sententia Patrum, specialiori quodam modo vulvam nascenti aperuisse, seu sibi perviam fecisse, quia hæc nullo antea pacto, ac ne virili quidem operationi pervia fuerat, quod alteri filio primogenito nemini contigit: ideoque speciali titulo, lege Exodi fuisse obstrictum: *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam*. Cætera tamen primogenita suo quoque modo ea lege teneri: tum quia suo quoque modo vulvam nascenti aperire, fractura scilicet, orisque illius integra apertione, qua antea congressu virili fieri cepta erat: tum quia, quæ prius actu venere abruptio cepta est, ab his facta censetur, quorum gratia, seu pro quorum generatione facta fuit.

2. Moysem non frustra in lata Exodi lege dixisse: *Primogenitum, quod aperit vulvam*: quia lex de primogenitis stricto sensu acceptis, ac masculini generis lata est. Talia autem non sunt primogenita masculina, nisi nascenti vulvam aperiant. Si enim puella generatio præcesserit, quæ vulvam prius aperuerit, primogenita stricto sensu non erunt.

3. Legislatorem sua quandoque lege teneri, non coactione quidem, sed directione: dum vi-

delicet, lata lex est de rebus Legislatoris conditioni, & dignitati minime repugnantibus. Imo teneri tunc magis quam subditum, si, quod præceptum est, Legislatori quam subdito magis congruat. Estque tunc in Legislatore obligatio rationis, æquitatis, ac etiam liberæ electionis, non obligatio coactionis, necessitatis, atque imperii. Porro Deo dicari, & consecrari, quod ista lege jubetur, Christo magis, quam alteri cuicumque primogenito congruebat. Neque obest, quod Christus nascenti Sanctus esset, atque ita Deo specialiter consecratus. Alia quippe sanctitas substantialis est, quæ Christo a natura conveniebat; alia legalis, quæ externa in Templo dedicatione, & oblatione peragebatur, cujus etiam bruta animantia capacia sunt. Namque & illa, si primogenita essent, sanctificari, seu consecrari ex lege jubebantur: Exodi 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus, quam de jumentis: mea sunt enim omnia*. Quemadmodum ergo Christo Domino secundum substantiam Sancto non repugnabat sanctificatio adventitia, & ex accidenti, quæ gratie habitualis infusione perficitur; ita eidem secundum substantiam Sancto, & consecrato, legalis sanctificatio, & consecratio minime repugnabat.

4. Atque hinc facile noveris, cur Christum primogenitorum sanctificandorum, seu consecrandorum lege concluderent Ecclesie Patres; non item tamen Deiparam Virginem puerperarum purgandarum lege obstrinxerint. Quia prioris legis obligatio nihil Christi dignitati repugnat; uti profecto Virginis puritati officit altera, quæ eas solas obstringit puerperas, quæ suscepto virili femine peperere. Idcirco priorem ex ipsiusmet legis directione servavit Christus, eidemque vere, ac religiose obtinuit: posteriorem, non ex eisdem directione Maria servavit, sed prudenti, pia, humilique œconomia; ne Judæis Divinam ejus fœcunditatem ignorantibus scandalo esset: neve legem, cui communiter putabatur obnoxia, contemnere videretur.

III. His difficultatibus expediti, alteram de Simeone quaestionem ingredimur: quis ille fuerit veneranda canonicæ senex, iustus, ac timoratus, Spiritu Sancto plenus, qui Christum infantem in ulnas suas excepit, dum a piis Parentibus induceretur in Templum? Sacerdosne fuerit, qui Christum pro Sacerdotii sui munere, & officio e Parentum manibus excepit, Deoque, uti lex præcipiebat, obtulerit? An autem vir laicus, qui Christum ex pietatis, & religionis sensu exultabundus excepit Deo benedicturus, quod Salvatore suum tandem aliquando misisset in Mundum? Sacerdotem de more vulgus existimat, Pidoribus pro more suo errorem foventibus, qui Simeonem Pontificali indutum veste habitaque, penicillo adumbrant. Temere prorsus, & imprudenter.

Dedit fingendæ fabulæ occasionem circumstantia loci, & temporis, qua pium illud officium vir pius, ac religiosus implevit. Cum enim in Evangelio legerint, Christum puerum a Simeone in ulnas exceptum esse, quo tempore a Parentibus inferretur in Templum, ut Domino sisteretur, imprudenter æstimatum est, Simeonem illum ipsum fuisse Sacerdotem, qui Christum e Parentum manibus exceptum stiterit Deo. Verum si Evangelium paulo attentius lectitassent, rem longe aliter accidisseprehendissent, jacturamque Simeonis Sacerdotium ad fabulas amandassent. Enimvero Sacerdotes stabant in interiori Templi parte juxta Tabernaculum Domini, ibique pueros e Parentum manibus exceptos Deo sistebant pro munere, &

officio suo. Simeon autem puerum Jesum in ulnas excepit, fortuito velut occursum extra Templum; aut certe ad fores illius: dum nempe in Templum veniens Sanctissimus Senex, in Christi Parentes incurrit, qui eum in Templum inferbant, ut illic Domino sisteretur: *Et venit*, inquit Lucas Cap. 2., *in spiritu in Templum: & cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum*. Quod ulque adeo verum est, ut Ecclesia Græca, quæ jam a primis sæculis pium illum Simeonem actum, quo Christum in ulnas sua excepit, & Sacrum Canticum cecinit, solemnius colit, hanc ipsam solemnitatem *Occursus Domini solemnitatem* appellet, *ὄραση*: rata scilicet, id occursum velut fortuito factum esse. Hinc tot illi apud Ecclesiam Græcæ Patres Sermones, & Homiliae in occursum Domini. Unde & Sanctissimus Senex, Christo in ulnas excepto, Deum quidem benedixisse dicitur in Evangelio, non Christum Deo obtulisse; quod utique fecisset, si eum uti Sacerdos, & legalis sanctificationis administer accepisset.

Accedit, quod puerorum oblatio in Templo non fieret, nisi postquam illorum Matres legi purificationis satisfecissent, in femota Templi parte, præscriptaque munera obtulissent: ante enim id temporis cessabantur immundæ: *Omne sanctum non tangebant, nec ingrediebantur in Sanctuarium*, Levit. 12. Simeon autem pium illum, de quo agimus hic, actum exercuit, dum puerum Jesum parentes ejus in Templum inducerent: cum nondum illius Mater purificationis legem impleverit, sed adhuc pergeret impletura. Actus igitur ille Simeonis, sacerdotalis oblationis actus non erat; quo nempe Sacerdos acceptum e Matris manibus puerum Deo sistebat, offerebatque.

IV. De reliquo Simeonem, non modo Sacerdotale Ministerium ea in occasione non obtulisse, ut vulgus putat, sed nec Sacerdotem re ipsa fuisse, evincit Evangelium, Ecclesie, ac Patrum omnium, cum Græcorum, tum Latinorum silentium eloquentissimum. Lucas enim Sanctissimi Senis elogium adorans, varios ejus titulos congerit, tacito tamen Sacerdotio: *Homo erat*, inquit, *in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus expectans redemptionem Israel, & Spiritus S. erat in eo*: quamquam aliis in occasionebus Sacerdotis titulum, ubi congruit, non modo non prætermittat Lucas, verum etiam primo loco ponat. Ecclesia etiam, tum in sacro preloponat. Ecclesia etiam, tum in Martyrologio ad diem octavam Mensis Octobris, ubi natalem Beati Simeonis senis diem designat, Sacerdotis dignitatem perinde silet; quam tamen, ubi res postulat, diligentissime notat. Ecclesie Patres omnes ad unum, cum Sanctissimum Senem ab aliis titulis celebrant longe multis, nunquam tamen a Sacerdotio commendant. Nisi quis forte obtrudere mihi velit librum de naturali communione Essentie Divinæ, S. Athanasio assiduum; librum de vitis Prophetarum S. Epiphania perperam attributum; Homiliam de Occursu Domini S. Cyrilli suppositam, ubi a Sacerdotio Simeon celebratur. At spuris, & apocryphis monumentis omnium Criticorum assensu rejectis fides nulla est, auctoritas nulla.

Unus forsan erit S. Augustini Sermo legitimus, nempe 13. de tempore, seu Sermo 9. de Nativitate, qui nobis objici possit, ubi ita loquitur Sanctissimus Doctor: *In Templo presentabatur, & a Simeone senis, amoso, probato, coronato agnoscebatur*: quo ultimo epitheto Simeonem Sacerdotem ab Augustino subindicatum aliqui volunt; propterea quod non alia illius corona intelligi possit, nisi Mitra Sacerdotalis. Rideo objectionis sub-



subtilitatem, quam nunquam ex Cardinalis Tole-  
ti cerebro prodiisse existimasset. Ecur quæso,  
Augustinus Simeonem *Senem probatum, coronatum*  
appellans, non aliam illius coronam intellexit,  
nisi Mitram Sacerdotalem? Quis non videat, Au-  
gustinum ad locum Jacobi Apostoli Capite 1. Epi-  
stolæ Catholica alludere: *Beatus vir, qui sustulit*  
*temptationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet*  
*coronam vitæ: adeoque Simeonem probatum, & co-*  
*ronatum dicere, non corona ulla temporali, seu*  
*Sacerdotali, seu regia; sed corona aeternæ vitæ,*  
*quam repromisit Deus diligentibus se. Illud itaque*  
*certum, indubitatumque, Patrum neminem a di-*  
*gnitate Sacerdotali Simeonem celebrasse, com-*  
*mendasse. Quo vel uno, quamquam non sup-*  
*peret alia, commentitia dignitas exufflatur.*

Sed est aliud, quod me multo plus moveat:  
non deesse scilicet sacrarum Scripturarum interpre-  
tes nobilissimos, qui eundem conceptissimis ver-  
bis laicum dixerint: Theophylactus nimirum, &  
Euthymius mediæ ætatis Scriptores in suis in  
Evangelium commentariis. Theophylacti verba  
sunt Enarratione in Cap. 2. Lucæ: *Non erat Si-*  
*meon Sacerdos, sed homo Deum amans, & expe-*  
*ctans, quando veniat Christus consolaturus Hebræos.*  
Euthymii vero in quatuor Evangelia Cap. 3. de  
Simeone. *Spiritus S. erat super eum: Spiritus S.*  
*prophetiæ. Non erat autem Sacerdos, ut mihi inorim*  
*videatur: alias enim & hoc omnino manifestasset Evange-*  
*lista tamquam magnam viri dignitatem. Quibus subinde*  
*sunt suffragati Jansenius, Estitus, Menochius, Par-*  
*adius, Tirinus, Tillemontius, alique non pau-*  
*ci, qui Laicum distincte docuerunt, & com-*  
*mentitium Sacerdotis titulum data opera impu-*  
*gnarunt.*

Quapropter quod apud Lucam legimus Cap. 2.  
v. 24. Simeonem illum Christi Parentibus ben-  
dixisse; non de benedictione Sacerdotali, sed de  
laicali venit intelligendum; qua nimirum Senio-  
res, Patres familias, Reges, Judices, Duces,  
aliæ dignitate præstantes viri, tamen laici, soli-  
tari erant in veteri Testamento aliis benedicere:  
cujus rei exempla sexcenta dare facile fuerit. Sa-  
tisque mirari non possum, tam futili momento  
Interpres aliquos usos esse, ut Simeonem Sacer-  
dotem fuisse nobis evincerent. Quasi vero Sacer-  
dotes fuerint quotquot in veteri Testamento aliis  
benedixisse leguntur. Aut aliud ea benedictiones  
fuerint, quam bonæ preces, quibus prospera  
quæque aliis obventura etiam laici precabantur,  
aut etiam spondebant, ac promittebant, si pro-  
phetiæ dono illustres essent?

V. Alteram de Simeone isto vulgatam a plerif-  
que fabellam non moror: huic scilicet, præ senio  
luminibus orato videndi facultatem, Christo in  
ulnas excepto, derепente fuisse restitutam. Ruit se  
ipsa male confusa fabella. Si enim, quod illi pu-  
tant, non modo Sacerdos erat Sanctissimus Sen-  
nex, verum etiam sacerdotale ministerium obibat;  
quomodo cæcus erat; cum sine oculorum usu sa-  
crum ministerium obire non potuisset? Ut ileam,  
ex præscripto Mosaicæ legis, & cæcos, & clau-  
dos, & gibbos, & quovis alio membro minores,  
aut deformes ab Altaris ministerio fuisse submotos.  
Fabulam male confusam, ac se ipsa ruentem ever-  
tit insuper, & Lucæ, & Patrum omnium silen-  
tium, qui rem adeo prodigalem, quæque ad Chri-  
sti, & Simeonis gloriam cederet maxime, non  
utique omisit, si, uti fingitur, accidisset: quem-  
admodum restitutam Zachariæ Joannis Baptistæ pa-  
renti loquendi facultatem, nato ac circumciso fi-  
lio, non siluere; quod id ad utriusque gloriam  
commendandam conducere maxime.

VI. Paris futilitatis est, quæ de Virgine pur-  
gationis officium implente a plerisque jactatur fa-

bula. Eam scilicet, non una simul cum mulieri-  
bus virum passis in Templo precari voluisse, sed  
altero in loco virginibus ad orationem destinato:  
qua de re, cum scandalum Judæi parentur, eam-  
que loco pellere tentasset, Zachariæ Joannis pa-  
rentem Sacerdotis vices agentem, partes illius sus-  
cepisse, ibidemque manere, atque precari iussisse;  
quod illam & Dei Matrem, & Virginem probe  
sciret. Quæ demum causa fuerit, cur a Judæis,  
Templum inter & Altare, per livorem, atque in-  
vidiam sit occisus: de quo idcirco a Domino di-  
ctum sit Matth. 23. v. 35. *Veniet super vos omnis*  
*sanguis justus, qui effusus est super terram a san-*  
*guine Abel justis, usque ad sanguinem Zachariæ fi-*  
*lii Barachie, quem occidistis inter Templum, &*  
*Altare.*

Vix ulla melioribus titulis gloriatur fabula. Id  
quippe concordî narratione referunt Origenes Tract.  
26. in Matthæum, S. Gregorius Nyssenus Oratio-  
ne de Christi Nativitate, S. Basilus Homil. de  
humana Christi generatione, S. Cyrillus Alexan-  
drinus Tractatu adversus Antropomorphitas; (si  
tamen Cyrilli vere est, ac non potius audacioris  
plagiarii; qui Gregorii Nysseni Orationem ex-  
scripsit) ut ileam magna Græcorum Menæa ad  
diem 5. Septembris. Fabula tamen est, ex Apo-  
cypthorum somniis derivata, ut admonet Hierony-  
mus in Cap. 24. Matthæi, eademque facilitate con-  
tinentur, qua profertur. Nec eam laudati Patres  
suffragio suo probant; (ne te Sanctorum virorum  
auctoritas moveat) sed tamquam in ore vulgi po-  
sitam referunt; cui nec ipsi fidem adiungunt, nec  
ab alijs adjungi volunt. Hinc Origenes, a quo  
primum popularis traditionis nomine narrata est:  
*Venit ad nos, inquit, quadam traditio talis &c.*  
tum ea recitata subjungit: *Sunt tamen, qui hujus-*  
*modi traditioni non credunt, nec fomachatur. Ec-*  
*quis vero credat vel mediocriter sapiens, quæ tam*  
*patenter Virginis modestia, humilitati, ac pruden-*  
*tia repugnant? Implebat enim tunc Virgo Mater*  
*præscriptum a lege purgationis officium, quæ puer-*  
*peris virum passis, sui suscepto semine parentibus,*  
*indicta erat: quia tamen ea lege summo jure non*  
*teneretur, (cum nec virum concipiendo passa es-*  
*set, nec suscepto semine Christum esset enixa;)*  
*servari tamen legem illam expediebat, ut virginei*  
*partus Mysterium, quod in ea peractum erat, ad*  
*certum saltem tempus maneret occultum. Quid*  
*porro tam imprudens, tam a vera modestia, &*  
*humilitate alienum, quam seipsam palam in Tem-*  
*plo Virginitem prodere, Virginitatem stationem affe-*  
*ctare, ambire, occupare: Mysterium, quod interi-*  
*rum Deus mortalibus vellet occultum, Judæis un-*  
*decumque confluentibus prodere; idemque, effu-*  
*so etiam Zachariæ sanguine, publice contestari?*  
*Abfit, ut Virginitem eo probro oneremus, dum il-*  
*lius honori consultum volumus.*

Nihil hic ad fabulam exufflendam querere ju-  
vat, quo mortis genere vitam finierit Zachariæ?  
Sit ne, Templum inter & Altare, a Judæis oc-  
cisus? Illiusne, an alterius meminert Christus,  
dum Justorum omnium sanguinem super Judæos  
venturum comminatur, a sanguine Abel justis, ad  
sanguinem Zachariæ filii Barachie? Qua de re  
quantum digladiantur Scripturarum Interpretes,  
nemo scit. Hoc dico tantum, quod præsentis  
est instituti: mortis ejus causam eam esse non pos-  
se, quæ a nugivendis obtenditur, quod Mariam  
purgationis officio defunctam, Virginitem peperisse  
palam assereret, & contra Judæorum obmurmura-  
tiones, eandem e Virginitate statione depellere  
aditentium, auctoritate defenderet. Quandoquid-  
em Divinæ, ac virginæ fecunditatis Myste-  
rium, nondum mortalibus referatur, ignorasset  
ipse; aut si quis forte peculiari quodam affatu  
no-

noverat, nondum tamen Judæis propalandum esse  
sciebat; imo, ne Judæis tunc innotesceret, purga-  
tionis officium impleri, probe noverat. Alte-  
ram illatæ necis causam retulit S. Petrus Alexan-  
drinus in Regulis Ecclesiasticis, a quinta Synodo  
Œcumenica probatis: Joannem scilicet puerulum  
ab Herode quæsitum ad necem, illius furori pia  
parentis cura subductum; de quo plenius, ubi de  
Herodiana puerorum cæde, dicemus. Ahi placi-  
da morte sublatum Zachariam existimant: nihil  
ut certi ea in re statui possit, quam non fuisse  
illum Marianæ Virginitatis martyrem, nec pro  
ea tuenda, probandaque, Judæorum ferro occu-  
buisset.

Audi tamen obiter, quam diverse somnia sua  
somnia fabulatores isti ac nugivendi. Mariam  
purgationis officium implentem, quo tempore vir-  
ginalis maternitatis Mysterium occultandum erat,  
virginitatem suam publice prodidisse; virginum-  
que stationem & gradum, coram omnibus affe-  
ctasse, commenti sunt, de quibus mihi hæcenus  
sermo fuit. At contra, Agridensis Abbatisa,  
Mariam, diu post Christum in Cælos assum-  
ptum, ac dum Christiana Religio, Evangelica  
prædicatione per univertum orbem distendenda erat,  
de virginali maternitate sua sileri omnino volu-  
isse, comminiscitur, Parte 3. *Mythice Cœlestis* lib.  
7. Cap. 12. Eamque non nisi divino sibi facto  
præcepto, repugnantem animum vicissim; ægreque  
tandem concessisse, ut in condendo symbolo Apo-  
stolico, Jacobus major, articulum hunc orbe to-  
to prædicandum decerneret: *Qui conceptus est de*  
*Spiritu Sancto natus ex Maria Virgine.* Splendidum  
sane commentum, duplici phaleratum anachronis-  
mo! Nempe si superis placet, ea de se prædicari,  
grave tulerit Virgo Mater, quæ ad Incarnationis  
Mysterium hominibus explicandum, necessaria foret?  
aut quæ terris crepta jam fuerat, cœloque  
reddita Virgo Mater, de tertio Symboli Apostoli-  
ci articulo, a Jacobo perinde jam mortuo decer-  
nendo, sollicita esse potuerit? Nemo enim sacræ  
Chronologiæ peritus est hæc, qui nesciat, Sym-  
bolum Apostolicum, post secundam persecutionem,  
qua Herodis gladio Jacobus major petitus est,  
postque assumptam in Cælos Virginitatem, fuisse ab  
Apostolis concinnatum; cum ad prædicandum to-  
to orbe Evangelium, prope essent ab invicem di-  
cessuri: at de his alijs.

VII. Supervacaneam arbitror alterius natiæ con-  
futationem, quæ Christi parentes duos pullos columba-  
rum pro more pauperum obtulisse, ait, studio hu-  
militatis, ac paupertatis; quamquam Magorum mu-  
neribus aucti, agnum anniculum pro more divi-  
tium offerre commode potuissent. Ipsa sui levita-  
te natiæ dissipatur: quæ Magos, contra quod  
jam ostendimus, Reges fuisse ponit, qui Chri-  
stum adoratum, illiusque parentes opibus auxer-  
runt: Quodque ineptum magis, ne dicam im-  
pium, ut Christi parentes præbeat humiles, facit  
irreligiosos, & legis Mosaicæ violatores. Non  
enim in parentum arbitrio positum erat, quod  
mallent pro nata prole donum offerre, pauperum-  
que, ni tales essent, conditionem affectare: sed  
sua quibusque dona, pro statu & conditione, ex  
lege præscripta erant, iique dumtaxat duobus co-  
lubarum pullis defungebantur, qui pro census  
reuitate agnum offerre non possent. Levit. 12.  
*Quod si non invenerit manus ejus, nec poterit offer-*  
*re agnum, sumet duas turtures, aut duos pullos*  
*columbarum.* In legem itaque Moysis peccasset  
haud dubie Christi Parentes, si cum commode  
posset agnum, duos dumtaxat columbarum pul-  
los, aut duos turtures obtulissent. Hac porro pau-  
perum oblatione defunctos fuisse Christi parentes,  
diserte testatur Lucas: *Tulerunt Jesum in Jerusa-*  
*Serry Tom. III.*

lem, ut sisterent eum Domino . . . & ut darent  
hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini  
par turturum, aut duos pullos columbarum. Haud  
alia certe de causa, quam quod ita res illis ef-  
fuset angusta domi, ut agnum offerre non pos-  
set.

## EXERCITATIO XXXVIII.

De fuga sacræ familie in Ægyptum.

I. DE Herodiana puerorum Bethleemitarum  
cæde, proxima Exercitatione dicturus,  
nonnulla de Josepho cum Puerulo Jesu, & Maria  
conjugæ, fuga in Ægyptum arrepta præmittere co-  
gor: per hanc enim Christus Dominus Herodis  
furori subductus est. Tria illius occasione sese of-  
ferunt expendenda, quæ viros etiam summos in  
diversas sententias adduxerunt. 1. Quandonam, &  
undenam Joseph fugam arripuerit? 2. Quantum  
temporis in Ægypto sint commorati? Quæ por-  
tenta, atque prodigia in Ægypto patrata sint,  
dum illic pervenere? Mirum enim, quam multa  
jacentur.

II. Hic autem, de in ipso limine impinga-  
mus, illud principii loco ponendum est: Divi-  
num mandatum Josepho in somnis ab Angelo de-  
nunciatum, ut fugeret in Ægyptum, hisque ver-  
bis apud Matthæum Cap. 2. expressum: *Surge,*  
*& accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in*  
*Ægyptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi: fu-*  
*rum est enim, ut Herodes quærat puerum ad per-*  
*ducendum eum: Mandatum inquam, illud Josepho*  
*dumtaxat datum esse, postquam Jerosolymis puri-*  
*ficationis, & oblationis officio defuncti sunt. Si*  
*enim ante id temporis datum esset; cum Joseph*  
*consectum, atque hac ipsa nocte confurgens, ut ait*  
*Evangelista, fecerit in Ægyptum, ubi & ali-*  
*quandiu subsistit: nullus illi, illiusque conjugi re-*  
*lictus fuisset locus implendi Jerosolymis purifica-*  
*tionis officii; quod tamen die post partum qua-*  
*dragésimo factum esse, certissimum est. Hoc pri-*  
*mum sine dubitatione ponendum.*

Accedit alterum nihil minus indubitatum: per-  
acto purgationis officio, Josephum una cum pue-  
ro Jesu, & sacræ Conjugæ in Galilæam, in civi-  
tatem suam Nazareth, ubi fixam habitationem  
habebant, perrexisse. Disertissima sunt Lucæ ver-  
ba Cap. 2. *Ut autem perfecerunt omnia secundum le-*  
*gem Moysi, reversi sunt in Galilæam, in Civitatem*  
*Nazareth. Ubi verba hæc ut perfecerunt, reversi*  
*sunt denotant, illos reversos esse statim atque per-*  
*fecta sunt hæc.*

Hinc necessaria consecutione deduco, manda-  
tum fugæ arripendæ Josepho datum fuisse Naza-  
rethi; illumque ex Nazaretho fugam re ipsa ar-  
ripuisse; non ex Bethleem, ut multis visum  
est; multo minus ex Jerosolymis, ut aliquibus  
placuit. Non, inquam, ex Bethleem fugam ar-  
ripuit: quia ante purificationem, dum dege-  
rerat Bethleemi, nondum fugiendi mandatum ac-  
ceperat, ut palam ostendi; post purificationem  
autem, non ultra Bethleemum sunt reversi, sed  
Nazarethum in Galilæam, ut scribit Lucas.  
Nec etiam ex Jerosolymis fugam arripuit in  
Ægyptum, cum inde non Ægyptum, sed Na-  
zarethum adierint: nullo adhuc fugiendi accepto  
mandato.

III. Duo tamen sunt, quæ huic nostræ senten-  
tiæ genuinum videntur infringere. Primum, quod  
Matthæus Cap. 2. mandatum Josepho datum de  
fuga arripienda, recenset statim post discessum  
Magorum: *Qui cum recessissent, inquit ille, ecce*  
*Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens:*  
*Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fu-*  
*ge in Ægyptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi: fu-*  
*rum est enim, ut Herodes quærat puerum ad per-*  
*ducendum eum: Mandatum inquam, illud Josepho*  
*dumtaxat datum esse, postquam Jerosolymis puri-*  
*ficationis, & oblationis officio defuncti sunt. Si*  
*enim ante id temporis datum esset; cum Joseph*  
*consectum, atque hac ipsa nocte confurgens, ut ait*  
*Evangelista, fecerit in Ægyptum, ubi & ali-*  
*quandiu subsistit: nullus illi, illiusque conjugi re-*  
*lictus fuisset locus implendi Jerosolymis purifica-*  
*tionis officii; quod tamen die post partum qua-*  
*dragésimo factum esse, certissimum est. Hoc pri-*  
*mum sine dubitatione ponendum.*



ge in *Ægyptum*. Cum itaque adorationis officium Bethleemi impleverint Magi, consequens & illud videtur, ut & Bethleemi datum fuerit Josephi mandatum aufugiendi in *Ægyptum*. Grave id factor, nec dissimulo: verum, si id consequens esset, potiori longe jure sequeretur, datum fuisse fugam mandatum, statim atque recessere Magi, atque ita ante purificationem: ii enim aliquando ante purificationem adorationis officio defuncti fuerant. Quod tamen nemo non videt esse falsissimum: sic enim, Josepho hac ipsa nocte suscepti mandati in *Ægyptum* aufugiente, purificationem Hierosolymis impleta non esset. Quid ergo, hæret hic nobis aqua? Minime vero. Sed Augustino duce periculum devitamus. Observat siquidem Sanctissimus Doctor lib. 2. de Consensu Evangelistarum Cap. 4. Sacros Scriptores res plerumque diverso tempore, & loco peractas eadem narratione, eodemque sermonis contextu recitare: dum videlicet, quæ intermedio tempore gesta sunt, cæcis de causis silentio mittenda putant. Cum itaque Matthæus totum Virginis purificationem, & Christi Jesu in Templo oblato Mysterium silentio prætermiserit, & Lucæ narrandum reliquerit; nihil profecto mirum, si statim, narrata Magorum adoratione, illorumque discessu, mandatum Josepho de fuga in *Ægyptum* maturanda, ab Angelo denunciatum, recitaverit: ut subinde imperatam ab Herode puerorum stragem a Luca prætermittam describeret. Non quod illa duo eodem tempore, eodemque loco contigerint.

Alterum, quod statuta sententiæ repugnare videatur, istud est, quod, si Nazarethi in Galilæa substitisset Josephus una cum familia sua, dum illi aufugiendi mandatum denunciatum est, nulla illius necessitas exstitisset. Idcirco enim iussus est Josephus fugere in *Ægyptum*, quia futurum erat, ut Herodes puerum quaereret, ad perdendum eum: at illum non quaesivit Herodes ad necem in Galilæa, sed in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, ubi pueros bimulos iussit occidi: nulla ergo fuisse aufugiendi necessitas. Quasi vero? Quidni ergo pari ratione dicamus, (etsi tunc Bethleemi Josephus substitisset fingatur) nihil fuisse necesse, ut fugeret in *Ægyptum*, regionem longinquam; cum simpliciter extra Bethleemum aufugiens, illiusque fines, Herodis furorem evasisset; qui Bethleemi dumtaxat, & in finibus ejus, pueros iussit occidi? Idcirco ergo in *Ægyptum* cum puero Jesu fugere iussus est, quia non sola puerorum Bethleemitarum strage, quæ Bethleemi fines non excessit, sed aliis quibusque modis, & artibus nati pueri vitæ infidiatas est Herodes, quacumque pareret ejus imperium; nec ipse solus, sed & una cum illo Sacerdotes, & Scribæ, ut observat D. Hieronymus lib. 1. Commentariorum in Matthæum. Idcirco extra fines dominationis, & potestatis Herodis aufugere iussus est Josephus; atque in *Ægyptum* sese recipere, ubi nihil Herodes auctoritatis, & potestatis haberet. Non enim in Judæa dumtaxat, sed & in Galilæa dominabatur Herodes Magnus, qui Regnum tunc Judæorum integrum obtinebat. Illius quippe didicissio, atque divisio in quatuor partes, ac Tetrarchias, post Herodis dumtaxat obitum facta est: in Judæam scilicet, proprii nominis dictam, (quæ Hierosolymam, & loca finitima complectebatur) Samaritam, & Idumæam, quæ pars data est Archelao, & Filio ejus; Galilæam, quæ data est alteri Herodi cognomento Antipæ; Ituream, & Traconitidem, quæ Philippo concessa fuit: Abilnam demum, quæ Lytania cessit in fortem: ut ex Lucæ Evangelio Cap. 3. colligere est, & ex Josepho lib. 10. Antiq. Cap. 10.

IV. Consulto ergo in *Ægyptum*, extra ditonem Herodis aufugere cum tota familia iussus est Josephus. Quantum autem temporis eorum illic commoratio tenuerit, non infima quaestio est. Hanc ego commorationem, longe quam vulgus putat, brevioris fuisse persuasum habeo: mirorque vehementius Scripturam Interpretes, alios quidem ad annum quintum, alios ad septimum, alios ad nonum, eandem illam protraxisse; quæ, si quid sapio, vix annum integrum tenuit. Id ex Evangelio colligo, cum Flavii Josephi Historia collato. Ita quippe Matthæus habet, post narratum puerorum Bethleemitarum stragem: *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & vade in terram Israel, defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri: qui consurgens accipit puerum, & Matrem ejus, & venit in terram Israel.* Quod idem compendio dixerat v. 15. *Erat ibi (in Ægypto) usque ad obitum Herodis.* Porro Herodes hoc ipso anno, quo stragem puerorum edixit, & filium suum Antipatrum jam diu carcere detentum iussit interficere, misera tæbe confectus est, sub Paschatis festum, ut scribit Josephus lib. 17. Antiquitatum, & lib. 2. de Bello Judaico Cap. 1. adeoque tertio vix Mense post fugam Josephi in *Ægyptum*, quæ sub medium Februarii suscepta fuerat. Quid ergo Josephi in *Ægypto* commorationem ultra annum protrahamus? Sed etsi daremus, reverentis mandatum, quod Joseph impiger obiit, non illico, ac statim atque Herodes extinctus est, fuisse illi ab Angelo denunciatum, sed tunc tantum, dum Archelaus defuncto Herodi parenti suo successit in Regno Judææ; propterea quod subiungit Matthæus: *Audiens autem Joseph, quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, inivit illo ire, & ammonitus in somnis secessit in partes Galilææ: idem perinde colligeremus.* Cum enim Archelaus post sex circiter Menses patri suo Herodi successerit in Regno Judææ: quod tamen sub Tetrarchia dumtaxat titulo obtinuit ab Augusto) quid ultra annum Josephi in *Ægypto* commoratio protrahatur? Quandoquidem defuncto Herode, & Archelao Judææ Regno auspiciente, reversus est.

V. Sed ad graviora nos vocat ea Christi Domini, qualicumque fuerit, in *Ægypto* commoratio; ad prodigiorum nimirum examen, quæ in ejo in terram illam accessit, factaque ibidem commoratione, patrata dicuntur. Sunt hæc numero multa, ac plane stupenda a Cardinali Baronio publicata, & propugnata; quæ idcirco accuratiori inquisitione nostra indigeant, atque censura. Primum illud, potissimumque commemoratur, multa simul, ac stupenda complexum: falforum Numinum simulacra, quibus *Ægyptus* Idololatriæ sedes abundabat, Christo puero adventante, derепente corruisse. Quod ab Isaia diu ante prænunciatum existimat, Cap. 19. scribente: *Ecce Dominus ascendet supra nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, & cor Ægypti tabesct in medio ejus.* Facili testes, qui rem totam distincte, ac dilucide referant, duos profert Scriptores Eminentissimos, Sozomenum, & Evagrium: cæteri quippe ab eodem prodigiis, tantum abest, ut facta in *Ægypto* referant, ut negent potius, destruantque. Sozomeni hæc verba sunt lib. 5. Historiæ Ecclæ. Cap. 21. *Memorant arborem esse, quæ Persis dicitur, Hermopolis, quod est oppidum Thebaidis, cujus fructus, aut solum, aut parvula aliqua corticis agrorum admodum morbos a compluribus depulerit. Nam traditum est, Joseph cum propter Herodem assumptis secum Christo, & Maria Sancta Deipara fugisset, venisse Hermopolim; atque simul*

ut porta appropinquaret, statim arborem, licet plane maximam, adventu Christi turbatam esse, atque ad solum usque se inflexisse, & Christum adorasse. *Aque hæc quidem de hac arbore, sicut a multis audivi, a me commemorata sunt. Que quidem, si quid ego judico, vel significabat jam Christum in Urbe adesse, vel, ut est verisimile, non modo arborem, quam incolæ propter magnitudinem, & pulchritudinem lege gentilitia venerabantur, Demone jam, qui ibi colebatur, ob Christum talium rerum eversores, qui in eo loco comparebat, perhorrescente, sua sponte commotam esse: verum etiam omnes Ægyptiorum statuas, adventante Christo, juxta prophetiam Isaie concussas. Itaque, Demone inde abacto, arbor, quo rei gestæ testimonium esset, remansit ibi, fidelesque morbis liberavit. Aque ut Ægyptii, & Palestini istarum rerum, sicut alii singuli avarum, quæ apud ipsos geste sunt, testes locupletes existunt. Subscribit, pressus licet & compendiosus Evagrius in Vitis Patrum lib. 2. Cap. 7. Vidimus & alium Sanctum virum nomine Apollonium, apud Thebaidem in finibus Hermopolis, ad quam Civitatem Salvatorem cum Maria, & Joseph de Judæa finibus venisse tradunt secundum prophetiam Isaie: vidimus ergo ibi, & Templum ipsum, in quod, ingresso Salvatore, corruisse omnia Idola in terram, & comminuta esse memorabantur.*

At qui, quæso; isti sunt, qui rerum adeo prodigialium, annis ante illorum ætatem circiter quintigentis patratarum, fidem nobis integram faciant? Aut quis illis Divinus afflatus affluis, ut nullo præeunte Veterum testimonio, atque suffragio patrata, Christo vix nato prodigia, atque portentosa noverint, referantque? Ut fidelem, nec certa quidem atque indubia fide, patrata prodigia ab utroque narrari; sed ex obscura nescio qua traditione, cuius & fontem ignorent, aliorumque narratione: Memorant, inquit, tradunt, traditum est. Quod autem de Isaia Oraculo, & ipsi, & Baroni inuunt, quasi eam Ægyptiorum Simulacrorum everfionem prænunciaverit citato Capite 19, inutilissimum est. Alio enim animum intecadit Propheta Sanctissimus, seu nativum, propriumque verborum sensum atterendis, ferè etiam allegoricum. Priori quippe sensu id sibi vult unum, Deum verum, ultoremque scelerum, veloci, celerique impetu, Assyriorum exercitu concitato, ingressurum, ac vastaturum Ægyptum, Pana illius direpturum, eademque Diis aureis, atque argenteis spoliaturum. Quod a Sennacherib, & a Nabuchodonozor impletum esse, norissimum est. Altero sensu hoc innuit alterum: Deum in utero Virginis tanquam in nube levi Mundum hunc aliquando ingressurum, & Idololatriam longe lateque diffusam eliminaturum, deleturum. Quæ certa Patrum interpretatio est; maxime vero Hieronymi: *Juxta tropologiam ascendit Dominus supra nubem levem, corpus Sanctæ Virginis Mariæ, quod nullo humani seminis pondere prægravatum est: vel certe corpus suum, quod de Spiritu Sancto conceptum est, & ingressus est in Ægyptum hujus Mundi: statimque omnia Ægypti Simulacra commota sunt: ita ut divinationes, & universa fraus Idololatriæ, quæ deceptum possidebat Orbem, se fractam esse sentiret: nempe successu temporis, & beneficio predicationis Evangelicæ. Nihil hic, si priorem sensum spectes, de pueri Jesu Herodis sevitiam effugientis in Ægyptum ingressu: nihil, si spectes alterum, de peculiari Simulacrorum Ægyptiorum everfione, dum illuc puer Jesus ingressus est.*

VI. Cæteri a Baronio producti testes Simulacrorum, puero Jesu in *Ægyptum* ingrediente, everforum, tantum abest, ut patrata prodigia referant, ut potius aperiissime negent. Eusebius enim lib. 6. Demonstrationis Evangelicæ Cap. 20. Serry Tom. III.

memorata Isaia prophetiam expendens, juxta Aquilæ Versionem, priorem dumtaxat illius partem, quæ futurum Domini ingressum in *Ægyptum* portendebat, ad verum exitum sortitum esse docet: alteram autem, quæ commota, everfisque Simulacra prænunciabat, non item: *Scriptura dicit: inquit ille, ecce Dominus ascendit super crassitudinem, & venit in Ægyptum: crassitudinem levem corpus de Spiritu Sancto conceptum appellans. Igitur etiam ipsa hæc Prophetie particula ad verbum exitum sortita est, qua tempore Angelus Domini in somnis visus ipsi Joseph dicit: surgens accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, donec dicam tibi. Tunc igitur ipse Dominus Deus Verbum puerilem ætatem ingressus, & suo corpori, quod ex Sancta Virgine accepterat, conjunctus in terra Ægyptiorum divorsatur. At si quod iactatur, everforum Simulacrorum prodigium re ipsa contigisset, utraque prophetia pars ad verbum tunc temporis exitum habuisset, uti profecto Baroni existimat: non itaque Eusebio iudice commota tunc sunt, everfisque Ægyptiaca Simulacra. Subjungit idem Eusebius, Demones quidem in Simulacris latitantes, Christo in *Ægyptum* ingresso, novam quamdam, Divinamque virtutem ad se accedentes novisse, adeoque fuisse commotos, perturbatos, atque convictos; intrinsecus tamen, & invisibilibus: non ita tamen existero, aperte, ac manifeste, nisi ubi cœpit a Christo, & Apostolis Evangelium prædicari. Non itaque manufacta ipsa Dæmonum Simulacra tunc primum commota, everfisque sunt, Christo puero Ægyptum subeunte: quæ sane externa, apertaque Dæmonum commotio, & perturbatio fuisset. Si, qui prius incolebant Ægyptum, Eusebii verba sunt loco laudato, vitiosi pravique Demones per multa secula in Simulacris latitantes, animasque Ægyptiorum omni superstitionis errori addictentes, ac subiacentes, cum sensissent novam quamdam, Divinamque virtutem ad se accessisse, illico commoti sunt, & fluctuationem, ac perturbationem in se ipsis perturbant, corque ipsorum, & vis intelligendi intrinsecus in ipsis convulsa sunt, cesseruntque, ac fugata sunt ab ea virtute, quæ visum effugiens, illos compellebat, & ignis instar ineffabilis quadam ratione adurebat. Et tunc quidem invisibilibus Demones talia passi sunt, cum Salvator noster Jesus Christus in Ægyptum cum visibili corpore pervenit. At vero postquam plene ipsius Evangelium ad Ægyptios, sicut ad reliquas gentes perlatum est, &c.*

Haud alia Divo Athanasio mens stetit, quem alterum everforum in *Ægypto* Simulacrorum testem Baroni adhibet. Dum enim lib. de Incarnatione Verbi, ejusque corporali in nos adveatu, scribit: *Quis iustorum, aut Regum in Ægyptum descendit, & ejus descensus Idola in Ægypto occiderunt? Abraham descendit, nihil tamen minus Idololatriæ ubique viguit. Natus est ibi Moyses, æque tamen illic hæsit religionis error: Et post pauca: Certe cum in Judæa nasceretur, Persæ adoratum venerere. Hic est, qui antequam in humana specie appareret, de adversariis Dæmonibus victoriam, & de Idololatriæ triumphum reportavit. Nam quotquot ubique sunt gentes, ejuantes patrium vitium, & Idololorum impietatem, suam jam in Christum spem convertunt, eique sua nomina dant, ut etiam vel ipse oculis deprehendere licet. Alioquin Ægyptiorum superstitione non quiescisset, nisi Dominus omnium in corpore quasi in nube vectus eo descendisset, & Idololorum errores conspexisset omnes, in se, & per se ad Patrem transferens. Dum, inquam, hæc scribit Athanasius, a proprio ad figuratum sensum divertit, Ægyptique non nine Mundum universum per tropologiam intelligit, juxta celebre Tertulliani dictum lib. contra Judæos Cap. 9. Ægyptus*